

Huius tempore Firmus apud Mauritaniam regnum in- 7  
vadens exstinguitur. Valentinianus apud Bergentionem 8  
legationi Quadorum respondens, anno aevi quinto et  
quinquagesimo impetu sanguinis voce amissa, sensu  
5 integer, exspiravit. Quod quidem intemperantia cibi 9  
ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse plures  
retulere. Itaque eo mortuo Valentinianus adhuc qua- 10  
driennis auctore Equitio ac Merobaude e propinquo,  
ubi cum matre fuerat, allatus creatur imperator.

10 Valens una cum Valentiniano germano suo, de quo 46  
diximus, regnavit annos tredecim, menses quinque.  
Hic Valens cum Gothis lacrimabili bello commisso 2  
sagittis saucius in casa deportatur vilissima; ubi  
supervenientibus Gothis ignique supposito incendio  
15 concrematus est. In quo probanda haec fuere: fuit 3  
possessoribus consultor bonus; mutare iudices rarius;  
in amicos fidus; irasci sine noxa ac periculo cuius-  
quam; sane valde timidus. Huius temporibus Proco- 4  
pius tyrannidem invadens exstinguitur.

20 Gratianus, genitus Sirmii, imperavit cum patre 47  
Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque; cum  
patruo et fratre tres; cum eodem fratre ac Theodosio  
quattuor, et his omnibus accidente Arcadio menses  
sex. Hic apud Argentariam oppidum Galliae triginta 2  
25 Alamannorum milia in bello exstinxit. Hic cum ani- 3  
madvertisset Thraciam Daciamque tamquam genitales  
terras possidentibus Gothis Taifalisque atque omni  
pernicie atrocioribus Hunnis et Alanis extremum peri-  
culum instare nomini Romano, accito ab Hispania  
30 Theodosio cunctis faventibus degenti annum a trice-  
simo tertium imperium committit. Fuit autem Gra- 4  
tianus litteris haud mediocriter institutus: carmen